



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 31. Epistola Eutychis ad S. Leonem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

scribebat. Tandem ægros invisebat, &, Sæculum V.
quodcunque levaminis genus poterat, A. C. 448.
suppeditabat. Sæpe potentibus arbitrum
se præbebat, componebat lites, & inimi-
cos conciliabat. Talis fuit S. Marcellus,
& Eutychis Damnationi signum appo-
suit.

§. XXXI.

Epistola Eutychis ad S. Leonem.

Eutyches, a Synodo damnatus, ad S. *Collect. Lup.*
Leonem Papam amplissimam dedit 6. 222.

Epistolam, in qua de Accusatione Eusebii
Doryleensis queritur. *His non obstanti-*
bus, inquit, morbo, & senectute obrutus
in Concilio sistere me volui, quamvis e-
tiam, conjuratum in me fuisse, non i-
gnorarem, Libellum obtuli, in quo Fidei
meæ Confessionem scripsérām; at Epis-
copus Flavianus eum non accepit, nec, ut
recitaretur, concessit. Ergo mea voce
professus sum, me Fidem Concilii Nicæni,
ab Ephesino confirmatam, tenere. Coge-
re volebant, ut duas Naturas confiterer,
iisque Anathema dicerem, qui negant;
ego vero reveritus sum prohibitionem Con-
cilii, ne quidquam Fidei Nicænæ addatur;
sciebam quoque, Sanctos Patres nostros,
Julium, Felicem, Athanasium, & Gre-
gorium banc vocem: duæ Naturæ, reje-
cisse. Nec de Natura Verbi Divini

G g 3 dispu-

Sæculum V. disputare, nec istos Sanctos Patres
 A. C. 448. thematizare ausus sum. Hinc rogau-
 ut causa ad tuam Sanctitatem referretur,
 sancte promittens, memet tuo Judicio sim-
 pliciter esse subjecturum. (*) Verum
 surdas aures pulsavi; nam interruptio
 Concilio, Depositionis Sententiam contra
 me promulgarunt; ipsa vita pericliteri
 cœpissim, nisi me armatorum manus eri-
 puissent. Tum aliorum Monasteriorum
 Superiores coegerunt, ut Depositioni mea
 subscriberent, quod nec contra manifestos
 Hæreticos, nec contra ipsum Nestorium,
 factum. Tandem eosque me persecuti
 sunt, ut, cum Fidei meæ Confessionem pa-
 blice proponerem, quo me coram populo
 purgarem, ne quis auscultaret, impedi-
 rint, atque ad valvas affixam diripuerint.
 Ergo ad vos recurro, Religionis Defen-
 sores! nihil in Fide novum affero, sed
 Apollinarem, Valentinum, Manetem, Ne-
 storium, eosque, qui, Carnem Domini No-
 stri de Cælo descendisse, dicunt, atque o-
 mnes Hæreses, a tempore Simonis Magi na-
 tas, anathematizo. Rogo vos, ut nulla
 habita ratione eorum, quæ malis quorum-
 dam artibus contra me acta sunt, de Fide,
 quæ visa fuerint, pronuntietis, nec æquo
 animo

(*) Etsi Hæreticus sit Eutyches, nihilominus
 illius ævi usus ad SS. Pontificem recurrendi, &
 appellandi, inde cognoscitur.

animo feratis, ut vir, qui annis septua- Sæculum V.
ginta in Continentia, & Pietatis Exerci- A. C. 448.
tationibus vixit, e medio Catholicorum
expellatur. Huic Epistolæ adjunxi u-
trumque libellum, tam illum, quem Ad-
versarius meus Concilio tradidit, quam
eum, quem afferens traditurus eram, si
fuisset, qui recipere voluisset. Adjeci
etiam, quæ a Patribus nostris circa duas
Naturas definita sunt. Post hanc Epi-
stolam inveniuntur litteræ, quas Julius
Papa ad quemdam Episcopum Diony-
sium dedit se jactatur; in iis errorem Pauli
Samosateni impugnans, dicit, in JESU Christo
unam Naturam esse admittendam, eo
modo, quo homo una Natura est, etiam
si ex corpore, & anima, quæ diversæ na-
turæ sunt, componatur. At dubitatur,
an hæc Julii Papæ Epistola authentica
sit. (*) Eodem tempore Theodosius Im-

e. 224.

Gg 4 pera-

(*) Der Anonymus I. in der Anmerkung über die Geschichte des Herrn Fleury an diesem Orte saget, es wisse niemand von diesem Briefe des Pabstes Julius etwas, als Eutyches; allein unser fleißiger Ueberseher, der es sich nicht zur Schuld will legen lassen, daß er die Gelegenheit versäumet hätte, einem Römischen Pabste eine falsche Lehre anzudichten, meynet, er komme ganz gewiß von diesem Pabste her, und hat darum eine Anmerkung gemacht. Aber gut! daß kein andres Zeugniß wider

Sæculum V. perator ad S. Leonem scripsit; Ecclesiam
A. C. 448. Constantinopolitanam turbis fuisse agi-
tatam indicat, Auctorum Nomina diffi-
mulans, & solum hortatur, ut in hanc
Ecclesiam pacem reducat. (*) Non ei
dubium quin Eutyches, ut ita scriberet
Imperator, opera Chrysaphii Evnuchi,
Patroni sui, obtinuerit.

Leo ep. 20.

S. Leo, acceptis his Litteris, ad Fla-
vianum scripsit in hunc modum: *Miror,*
quod tu de his scandalis nihil ad me per-
scripsieris, atque in ejusmodi causis re-
rendis quisquam te diligentior extir-
*rit. (**)* *Si ita omnia se habeant, ut no-*
bis Eutyches exposuit, non videmus, quod
jure ab Ecclesiæ Communione separatus
fuerit; cum vero cupiamus, ut Episcopi
nunquam non, omnibus maturo prius con-
silio pensatis, judicent, sine cause cogni-
tione

wider den Pabst Julius vorhanden ist, als des
Eutyches, und dieses Uebersezers, sie sind vom
gleichen Werth.

(*) Ecce! Imperator Orientis ad SS. Ponti-
ficem convertitur, ut is Pacem in Ecclesiam Con-
stantinopolitanam reducat. At nullum reperi-
tur Exemplum, quod Ecclesia Romana unquam
a Constantinopolitana remedium postulaverit.

(**) Ita Superior ad Inferiorem loqui solet.
Econtrà in Epistola Flaviani ad S. Leonem, Nu-
mero sequenti, Notæ loquentis Inferioris ad Su-
periorem suum deprehenduntur.

tione quidquam pronuntiare non possumus. Sæculum V.
 Ideo ad nos mitte Virum huic Legationi A. C. 449.
 idoneum, qui nos de omnibus, quæ acta
 sunt, certiores reddat, & doceat, quis no-
 vus error contra Fidem subortus sit, ut,
 sicut Imperator vult, commotos dissen-
 sionis fluctus componere valeamus. Id
 difficile non erit, cum Presbyter Euty-
 ches in suo Libello promiserit, si quidquam
 reprehensione dignum in sua Doctrina in-
 ventum fuerit, illud se lubenti animo e-
 mendaturum. Hæc Epistola duodecimo
 Kalendas Martii, Astero, & Protogene
 Consulibus, nempe 18. Febr. 449. & Re- Ep. 28. al. 7.
 sponsoria ad Imperatorem prima Martii
 data est.

§. XXXII.

Epistola Flaviani ad S. Leonem.

Flavianus, acceptis Papæ Litteris, quas
 ei Comes Paniovius redditum, data
 Epistola respondit, in hunc ferme mo- Post. ep. 21.
 dum: Eutyches Apollinaris, & Valen- S. Leon.
 tini Hæreses reducit, affirmans, ante JE- Conc. Calced.
 su Christi Incarnationem duas esse Na- I. p. c. 4.
 turas, Divinam, & Humanam, at post
 conjunctionem unam tantum supervesse Na-
 turam, atque Corpus ejus, ex Maria as-
 sumptum, non esse nostræ Substantiæ, nec
 Matri consubstantiale, quamvis illud cor-
 pus humanum nuncupet. Igitur ab Epis-
 copo Eusebio accusatum, cum in Concilio
 suis

Gg 5

suis